Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quod pro scandalis singulis preferebat. uidebis quod omni erat saxo durior. anima ista perpetiens. et ferrum atque adamantem firmitate superabat. Que enim iob corpore. hec PAULUS mente sustinuit. quod omni uerme molestior de singulis quibusque labentibus mesticia consumebat. Unde et iuges lacrimarum ex eo fontes non diebus solum sed etiam noctibus effluebant. omnique muliere parturiente uehementius affligebatur in singulis. propter quod etiam dicebat. Filioli mei. quos iterum parturio. Quem uero iam quispiam post iob putet esse mirabilem. Moysen perfecto. Sed hunc etiam PAULUS. *De moyse.*
satis eminenti uirtute transcendit. Cuius quidem multa sunt alia preclara. sed caput sancte illius anime atque fastigium est. quod pro iudeorum salute deleri elegit e libro. Sed moyses cum ceteris optauit perire. PAULUS pro ceteris. Non enim cum pereuntibus perire uoluit. sed ut saluarentur alii ipse de gloria eternitate decidere. Et ille quidem pharaoni. hic autem diabolo cottidie repugnabat. Et ille pro una gente. iste uero pro uniuerso orbe certauit. non sudore sed sanguine uice sudoris undique profluente. cum non solum habitabiles mundi partes. uerum etiam deserta ad cultum religionis adduceret. nec solum grecorum philosophos. uerum etiam barbarorum.

Poteram quidem et iesum naue et samuel. et alios prophetas in comparatione uocare. sed ne sermonem faciam longiorem. ad ipsa eorum capita conscendam. Cum enim istis excellentior apparuerit. nulla prorsus de aliis ambiguitas relinquitur. Qui nam igitur eminentiores uidentur? Quis post hos alius nisi dauid. *De helya*
et elyas. ac iohannes. quorum unus prioris. alter secundi est precursor aduentus. propter quod etiam nominis communione coniuncti sunt.